



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

R. P. Ioannis Azorii Lorcitani, Societatis Iesv Presbyteri Theologi, Institvtiones Morales

In Qvibus Vnivers[a]e Qvaestiones ad Conscientiam recte aut prauè
factorum pertinentes, breuiter tractantur

Azor, Juan

Coloniae Agrippinae, 1612

6 Quibus modis feudum acquiratur, & primo de inuestitura.

urn:nbn:de:hbz:466:1-14014

mities in feudum dare queant. Possunt, immo etiam alii nobiles vti eis inferiores, qui Barones dicuntur. Nam in *lib. 1. Feudorum tit. 1. De iis, qui feudum dare possunt. vers. Marchio* dicitur: (Marchio, & Comes similiter feudum dare possunt. Sunt etiam alii, qui ab istis feuda accipiunt, qui & ipsi feuda dare possunt: ipsi verò, qui ab eis accipiunt feudum, minores Valuasores dicuntur.) sic ibi.

Sextò quaeritur, An minores Valuasores possint in feudum dare, *lib. 1. Feudorum tit. 1. §. Notandum*, sic est: (illud beneficium, quod à Regis Capitaneis, atque Regni Valuasoribus aliis impenditur, propriè iure feudi censetur. Illud verò, quod à minoribus in alios transfertur: non iure feudi indicatur, licet aliter in curia Mediolanensi obieretur.) Idem habetur *lib. eod. tit. 7. de natura feudi*. Sciendum est *lib. 2. Feudorum tit. 10. Quis dicatur Dux, Marchio, Comes*, dici maiores Valuasores, qui à Rege, duce, vel príncipe duce Maiore, vel Comite feudum accipiunt, qui verò accipiunt feudum à Valuasoribus maioribus, dicuntur Valuasores minores: & qui accipiunt à Valuasoribus minoribus, dicuntur Valuasores, id est, Valuasores minimi: qui olim feudum non dabant, licet feudum transferrebant, & transferrebant in alios, hoc est, feudum novum in suis rebus propriis, & liberis ab omni feudo non constituebant, sed vsu postea receptum est, vt etiam novum feudum darent.

Septimò quaeritur, An quisvis patrifamilias, quamvis ignobilis sit, plebeius, rusticus, habens prædium allodialè, hoc est, patrimoniale liberum ab omni feudo, & nulla dignitatis, vel præminentie conditione præditum, possit in feudum dare? Conuenit inter omnes posse dare alicui plebeio, vel rustico, quia *lib. 1. Feudorum tit. 3. dicitur*: (Novi verò inuestitura feudi non ab alio rectè fit, nisi ab eo, qui legitime suorum bonorum administrationem habet.) ergo à contrario, qui habet liberam suorum bonorum administrationem, potest rem suam in feudum dare. Vnde dicunt, id, quod habetur *lib. 1. Feud. tit. 1. videlicet* Feudum novum non date, nisi cum, qui est aliqua dignitate præditus, esse correctum per id, quod dicitur *eodem lib. 1. tit. 7. Duareo. commentario in consuetudines feudorum. cap. 7. n. 11. negat* posse in feudum dare, quia in feudum dare est dignitatis, qui enim dat in feudum vasallos, quos dicitur, habet: at qui vasallos habet, iurisdictionem in eos exercet. *lib. 1. Feud. tit. 3. de prohibita feudi alienatione* Sed talis dignitas homini ignobili, plebeio, & rustico non conuenit. Quicquid sit de iure, sequenda est in hoc consuetudo gentis, provincie, vel patrie.

Octavò quaeritur, An minor viginti quinque annis possit in feudum dare? Novum feudum, si curator em habeat, dare non potest, licet vetus possit. *lib. 2. §. ad tit. 2. in principio*, nam res suas alienare non potest: at non videtur alienare, qui veterem alienationem renouat, *ex l. 1. §. Aqueductus. ff. de aqua quotidiana. & stagna*. Pupillus verò, quia non potest se obligare, quamvis conditionem suam possit meliorem facere, nequit dare in feudum. Idem dicendum est de furioso, qui rerum suarum administrationem non habet. *l. 1. cui ff. de actio. & oblig.*

Nonò quaeritur, An femina possit in feudum rem suam dare? potest *lib. 1. Feudorum. tit. 2. Per quos fiat inuestitura & Femina*, vbi dicitur: (Femina quoque etiam noui feudi inuestituram facere potest, plerique consentunt.)

Decimò quaeritur, qui possint feudum accipere? *lib. 1. Feud. tit. 3. §. personam*, dicitur: Personam verò inuestituram accipientem non distinguimus. Hoc dixit, quia ante doerant, multum referre, vt maior sit, an minor is, qui feudum dat, siue inuestit alicquem. Quæres, an seruus feudum accipere queat? Potest, vt dicitur *lib. 1. Feudorum. tit. 3. §. Personam*. Et quemadmodum seruus res

alias iure communi domino acquirit, sic etiam feudum acquirit domino.

Quibus modis feudum acquiratur, & primum de inuestitura.

CAPVT VI.

PRIMO quaeritur, Quot modis feudum acquiratur? Respondeo, tribus modis, inuestitura, longa possessione, hoc est, præscriptione, & successione. De his omnibus singulatim dicendum est, de quibus Ardzon *lib. de vsibus feudorum. cap. 36. Curtius, tractatu de feudis par. 2. quest. 4. Lazarus in Epitome feudorum. cap. 6. num. 1. & 2. Francionius lib. 1. de iure feudorum. cap. 7. Duarenus in commentario in consuetudines feudorum in cap. 7.*

Secundò quaeritur, Quomodo per inuestituram feudum dari, & accipi solet? hoc est quaerere, Quo ritu, & formula, quis per inuestituram feudum det, vel accipiat? Sciendum est, recentiores iuris Civilis, & Canonici interpretes cum quis rem in feudum accipit, siue feudo donatur, eum feudo inuestiri, dicere solere, & ipsam feudi apprehensionem, siue silectionem inuestituram appellant.

Potèd inuestitura, barbarum nomen est, nec apud Latinos scriptores vsipiam legitur, sed solum in legibus Longobardorum, & Francorum, & Germanorum *vest*, & *Deust*, in hisce legibus inueniuntur ficta vocabula, pro eo, quod Latine diceretur, confirmare, & stabilire. Inuestitura igitur est apprehensio possessionis feudi, & is dicitur in feudum inuestiri, qui feudi possessionem nanciscitur. Fit autem talis inuestitura, cum hasta, vel cum aliquod aliud corporatum instrumentum traditur à domino: quomodo etiam Romani iuris instituto, nullæ alienationes sola conventionne fiebant, sed solenni mancipatione, vel naturali traditione, adhibita certa verborum formula firmandi causa *l. ff. de preterita stipulat. Sic* Longobardi ritum aliquem, erecto scilicet vexillo, vel gladio, vel hasta, præter conventionem, adhiberi volebant, sed præcipue hasta tradita, quia apud veteres celeberrime fuit ritus hastæ. Vnde Iustinus *lib. 49. (Per ea, inquit, tempora reges hastas pro diademate habebant. Nam, & ab origine rerum pro diis immortalibus veteres hastas coluerunt: ob eius religionis memoriam, ad huc Deorum simulacris hastæ adduntur.) Sic ille. Et notum est ex historis Livii, Appiani, & Taciti, Populi Romani institutum fuisse, vt Regibus appellatis, senatus auream coronam, auream patellam, sellam eburneam, sepiorem eburneam, togam prætam, & palmatam tunicam mitteret.*

Potèd, vt varia sunt feudorum genera, sic vari inuestitura ritus, & formulæ fuerunt: nam alia in Imperatoribus designandis, alia in Regibus creandis, alia in Episcopis, alia in Ducibus, Marchionibus, & aliis minoribus dignitatibus insignia adhiberi solebant. Imperatori quidem Germanico primùm gladius accingitur, tum amille humeris imponatur, post in manus scriptum datur, ad extremum capiti corona inleitur: vt litteris prodidit Theophilus in *Historia Ottonis I. Imperatoris. cap. 6. qui alio in loco. cap. 20. in* Regis Romanorum inauguratione globum, & anulum adungit: & Herno dus in *Historia Estavorum lib. 1. cap. 32. scribit*, Fac nobis (ait Imperator) reddi coronam, anulum, & purpuram, cæteraque ad inuestituram Imperatoriam pertinentia.

In cæteris verò regnis interdum hasta tantum nonnquam vsuque. Gregorius Turonensis *lib. 7. cap. 23. (post hæc, inquit, Rex Guntranus, data in manus Regis Childerici hasta, ait: Hoc est iudicium, quo tibi omne regnum meum tradidi. Aimorus lib. 1. cap. 68. (Tunc de munus Guntranus rex hastam, quam manu gerebat, nepoti tradidit, inquit: Hoc, amantissimè nepos indicio noueris, te mihi successurum.) Et lib. 5. ca. 17. (Vbi Dominus Imperator filium suum Carolum armis virilibus, id est, ense, cinctis, corona regali caput insigniuit.) Episcopatum autem con-*

ferendum in signe fuit scriptum, Ducatus, Marchionatus & Comitatus, vexillum. Vnde Saxo lib. 3. art. 60. (Imperator cum scepro confert feuda spiritualibus, cum vexillo autem, secularibus omnia feuda illustri dignitatis.)

Papalis autem dignitatis ornamenta, & insignia describit Cremonensis in Paschali 2. his verbis: (Indutus deinde cocineam chlamydem, tiarâq; eius capiti imposita, comitante populo, & clero, equo albo ad Lateranum. Vbi eum in fe de ad eam rem parata, aliquâdiu quievisset, balteo succingitur, vnde septem claves, septemq; sigilla pendebant. Deinde atrium Lateranense inuisit, sceptrum Pontificium manibus gerens.) Hæc ille.

Minores autem & inferiores modo hasta, modo annulo, modo fuisse inuestiuntur, lib. feudorum 2. tit. 2. quando hasta, vel aliud corporatum quid portigitur à Domino, se inuestituram facere dicit: quod vassallus, cum ei de inuestitura controuersa mouetur, proferte, atq; ostentare solet, lib. 2. Feudorum tit. 27 §. 7. Quemadmodum enim iure Romanorum cum claves, aut annulus signatorius dabatur, quasi alienationis testificandæ causa, solennis formula fuit. Cum pater, §. pater, ff. de legatis. 2. & post claves, aut annuli possessio tradebatur: sic in Feudis hasta, vel annulus confertur, & is, cui datur, in Domini fidem & clientelam admittitur.

Potest in inuestitura, ut habetur lib. 2. feud. cap. 32. adhiberi testes, qui vel sunt pares Curie, id est, vassalli eiusdè Domini, qui feudum concedit, vel sunt extranei, quando Dominus alios vassallos non habet, aut quando clericus feudo donatur: nam tunc etiam possunt adhiberi quilibet testes, siue pares curie, siue extranei: immò etiam siue testibus aliquando clerici inuestiuntur, lib. 1. feud. tit. 26.

Dubiæ questionis est, An testes solum requirantur ad probationem inuestituræ, an verò etiam ad substantiam. Glossa lib. 2. feud. tit. 32. tenet, solum requiri ad probationem. Idem habent Angelus, & Siluest. in verb. inuestitura. communis est opinio feudistarum esse necessarios testes ad substantiam inuestituræ: quod colligitur ex lib. 2. tit. 32. vbi dicitur non valere inuestituram sine hac solennitate factâ. Ita Curtius, Ardzoo, Zazius, Hanetonius de v. lib. feudo. cap. 41. Duarenus comment. in consuetudines feudorum, cap. 8. num. 3.

Tertiò queritur, quem effectum habeat inuestitura? Respondeo, eam valere ad substantiam feudi: vnde ad transferendum ius feudi, opus est inuestitura, nec aliter feudi dominium transit ad aliquem. Vnde etiam si Domino iubete, quis prædii possessionem teneat nomine feudi, non poterit ea ratione feudi dominium consequi sine inuestitura. lib. 10. feudo. tit. 25. Obiicies, lib. 2. feud. tit. 33. sic haberi: (Si quis possidet feudum, Domino iubente, haberi illam possessionem pro inuestitura, ergo ad substantiam feudi inuestitura non est necessaria.) Respondeo: solum sibi dici, possessionem accedente iusta Domini haberi pro inuestitura, videlicet tunc, cum Dominus iusserit possideri eorâ paribus curiæ: quia in hoc tantum ab inuestitura differt, quod in ea desideratur, vt Dominus tradat, illi hastam, vel annulum, vel clauem.

Quartò queritur, An Dominus post inuestituram, debeat feudi possessionem tradere, an verò possit voluntatem mutare, & præstare solum id, quod interest eius, quem inuestiuit: lib. 2. feud. tit. 26 §. Sic hasta, habetur, Dominum cogi, tradere possessionem, nec satis facere, si præstet id, quod interest: quod quidè singulare est in feudo: nam alias qui promittit, liberatur à promissione, si soluat, quod interest, stipulatione, §. Non diuiduntur, ff. de verb. oblig. & qui promittit tradere librum, vel ædificare domum, liber est ea obligatione, præstando, quod interest. Vnde inuestituram sequitur traditio possessionis, lib. 2. feud. tit. 4. & seq. Sed fidelitas, siue fides de obsequio præstando, debet antecedere traditionem possessionis, lib. 2. feud. tit. 7. ergo inuestitura præcedit, & deinde sequitur fidelitas, mox fidelitatem sequitur traditio possessionis.

Quintò queritur, quando plures inuestituræ sunt eiusdem feudi, cui potius earum standum sit, præsertim cum ex

interpositis conditionibus, vna inuestitura cum altera pugnat. v. g. ex feudi conditione, prima inuestitura non tantum ad masculos, sed ad feminas quoq; pertinet: & deinde quia recessum est ab ea feudi natura, in secunda inuestitura tantum est, vt masculi tantum succedant, quæstio est, vtri inuestituræ, antiquæ ne, an nouæ standum sit? Respondet Glossa lib. 2. feudo. tit. 14. Inuestituræ primæ tenorem esse seruandum: quia primæ inuestituræ non potest pactum secundæ nocere, Glossa lib. 2. tit. 49. per pactum enim ius acquisitum alteri perimi nequit, l. Si vnus, ff. de pactis. In feudo igitur per primam personam ius acquisitum est certis personis, & ideo non potest pacto illius adiri.

De longa possessione, qua dicitur prescriptio, qua acquiritur feudum.

CAPVT VII.

PRIMO queritur, quot annorum longa possessio intelligatur in acquirendo feudo? Respondeo, si feudum sit profanum & sæculare, longam possessionem, siue præscriptionem debere esse triginta annorum, quia tametsi iure civili longa possessio dicatur viginis, aut decem annorum, l. vlt. D. de prescript. longi temporis, singulare tamè est in feudo, vt quamuis nulla inuestitura præcesserit, locum tamè habeat præscriptio triginta annorum, quia tanto temporis spatio tolerantur, & permittuntur actiones, l. omnes, C. de prescrip. triginta annorum.

Secundò queritur, quot, & quæ sint necessaria in tali præscriptione feudi? Respondeo, duo esse necessaria: Primum, vt quis possederit per triginta annos. Secundò, vt possederit tanquam feudum: veluti cum Titius nullum ius haberet in fundo, spatio tamen triginta annorum, vsus est eo fundo tanquam feudo, præstando obsequium Domino tanquam vassallus, tametsi postea dici queat, nunquam eum fundum in feudum Titio fuisse concessum, præscriptione tamen tunc ille se potest, lib. 2. feudo. tit. 26 §. Si quis. Et idem iuris est in Domino, quia est eadem ratio. Vt si quis nihil iuris habeat in feudo, eo vtatur triginta annis, ex gens obsequia, tanquam directum dominium habens, & perinde, ac si feudum concessisset, præscriptione directum dominium acquirit.

Tertiò queritur, An feudum Ecclesiasticum præscriptio ne possit acquiri? Respondeo, posse quidem, sed non spatio triginta annorum, vt acquiritur feudum sæculare: requiritur enim cursus quadraginta annorum, vt contra quamlibet Ecclesiam præscriptio procedat. Authen. exactio, C. de Sacrosan. Eccles. Et contra Ecclesiam Romanorum præscriptio non currit nisi spatio centum annorum, quia aliter præscriptio in aliis bonis contra Romanam Ecclesiam non procedit.

Quartò queritur, An beneficiarius, siue vassallus longo tempore contra Domini ius præscribere queat. Exemplum sit: Feudum habet Titius vassallus non liberum, sed fidei obnoxium, quæstio est, num possit sibi præscriptione acquirere libertatem ab obsequio, & contra, An Dominus possit etiam præscribere à longo tempore contra vassallos? hoc est querere, An Dominus, qui non habet plenum ius in feudo possit sibi præscriptione acquirere plenum dominium?

Communis est sententia, vt dixi, q. 2. hoc eodem capite, posse: quia spatio triginta annorum, vel quadraginta, actiones permittuntur.

**